IN FVNERE ILLVSTRISS. ET REVERENDISSIMI D. ANTALDI DE ANTALDIS SENOGALLIENSIS EPISCOPI, & Comitis, Nobilis Vrbinatis.

ORATIO.

Benedicti Dori I. V. D. & Ciuis Vrbinatis Habita in Sacra Archiepiſcopali Aede Ciuitatis Vrbini.

Kal. Februarij, Anno M. D. C. XXV.



VRBINI, Apud Marcum Antonium Mazzantinum, M. D. C. XXV.

Ex Superiorum permiſſu.

AD Lacrymas, ad Luctus, ad Virtutes ANTALDI Senogallienſis Epiſcopi, & Comitis, noſtræque Ciuitatis alumni contemplandas inuitamur. Illum nobis, Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime Præſul, Magiſtratus ampliſſime, voſq; cęteri auditores ornatiſſimi, immitiſſimæ mortis manus optima quæq; metens, & falce inportuna ſuccidens eripuit. Commune nobis, quia noſtrę lumen Ciuitatis extinctum, & Senogalliæ optimo viduatæ paſtore vulnus inflictum. Quare, ſi mihi in hac funebri tanti viri pompa lacrymas fundendi, non dicendi onus fuiſſet impoſitum, facilius, credo, iniuncto mihi muneri ſatisfacerem flendo, quàm animo ob acerbiſſimum luctum conſternato verba texendo. Lacrymæ enim, ſi quis ex animo doleat, ſpontè fluunt, & dolor ipſe, veluti incluſa flamma latere neſciens, iniuſſus erumpit è pectore; ſed vocem contra dolor intercipit, & Lacrymæ vix adhuc ſimulare edoctæ promanãtes ex oculis verba interrumpunt. Faces hæ funebres, quæ mihi ante oculos obuerſantur, hæ pullę veſtes, quibus auguſtiſſimi huiuſce templi facies obducitur, mœſtiſſimus conſpectus veſter, atq; adeo ciuitatis noſtrę vniuerſæ mœror, & ſquallor, vigilantiſſimi demum in commiſſum ſibi gregem paſtoris, atque in omnes beneficentiſſimi, optimiq; parentis amiſſi recordatio meum pectus effodiunt. Verumtamen, ſepoſitis parumper Lacrymis, & dolore pauliſper conſopito, ne ſolus ipſe videar iniuſtus, dum meritiſſimo Pręſuli ANTALDO reliqui iuſta perſoluũt, vtcunq; mihi affecto, & viribus ingenij deſtituto de ſummis illius Laudibus in hoc ampliſſimo loco, in hoc frequentiſſimo doctiſſimorum conſpectu dicendum. Atq; illud imprimis in hac propoſita laudatione me recreat, Auditores, quod eiuſmodi cauſa eſt oblata, quę latiſſimum, & meritorum ANTALDI campum fœcundiſſimum prębeat oratori. Quos tamen potius flores carpam? quæ poma decerpam? Si antiquiſſimæ illius familiæ claritudinem, quæ quingentorum ferè annorum memoriam excedit, vellem attexere, dicerem extare quamplurima virorum Illuſtrium monumenta, qui ex hac familia celeberrima, cum domi, tum belli, atq; omnibus diſciplinis pręſtantiſſimi, vt Athones, vt Dominici ſenior & iunior, vt Brugaldini, vt alij quamplurimi, longa ſerie prodierunt: dicerem illam fuiſſe ſemper à ſereniſſimis Ducibus noſtris Vrbini ob merita illius protectam, priuilegijs innumeris cohoneſtatam, & gratioſis ſæpè litteris, quæ adhuc extant, apud quamplurimos Principes pręconio virtutis commendatam. Quòd, ſi vera illa laus iudicari debet, quę prouenit à laudato viro, quanta erit illa, quæ ab inclytis Ducibus noſtris promanauit,

qui ob ingentes, quibus claruerunt virtutes, & heroica geſta, non Italiam, & Vrbem modò, ſed vniuerſum penè terrarum orbem meritis, & nomine glorioſiſſimo impleuerunt? Poſſem & alia multa, eaq; pręclara, & memoratu digniſſima vetuſtiſſimæ gentilitatis Antaldæ commemorare. Poſſem etiam natalis afferre ſoli ſplendorem, cùm hęc Ciuitas noſtrà, in qua natus eſt, totius ſit Vrbinatium ditionis metropolis, vetuſtiſſimum olim Romanorum extiterit Municipium, & fuerit ſemper ingeniorum omni diſciplina pręſtãtium feraciſſima: ſed, quia vereor, ne proprijs epiſcopi ANTALDI meritis, quę penè ſunt infinita, me prębeam iniurium, dum aliena conſector, breuiſſimo hoc mihi temporis curriculo ad dicendum impertito complectar breui quæ digna laudatione, quæ digna veſtris auribus, quæ digna Præſule religioſiſſimo, ac Sanctiſſimo videbuntur. Vultis ab eiuſdem puerilibus annis ducamus exordium? ita ſane commodum videtur & opportunum: hinc etenim fiet, vt, minimè temporum, & ętatis illius ordine perturbato, memorabilia facilius ANTALDI geſta, & pręclara facinora mentibus veſtris inſideant. Non igitur putet quiſq̃, illum puerum, vt puerilis fert ętas, puerilia tractaſſe, ſed iam tum à teneris annis facile vt omnes obſtupeſcerent, canos pręſe tuliſſe mores, & prudentiam in ſenibus etiam pleriſq; deſiderabilem, ſupra quam cuiquam credibile eſt, anteuertiſſe. Ferunt Herculem adhuc vagientem in cunis geminos linguis ſibi triſulcis minitantes angues tenella dextra preſſiſſe: Verum nullus ignorat fabuloſa hęc fuiſſe pœtarum commenta, quibus etiam ſupra fidem glorioſiſſimum nomen Herculeũ extollerent, atq; adeò inter aſtra mortali ſorte maiorem cæleſtibus additum collocarent. At ego vobis non vana, non ficta, non fabuloſa commemoro, Auditores. Adſunt, adſunt hic, in hac noſtra Ciuitate, in hoc templo ſanctiſſimo quamplures oculatæ fidei teſtes locupletiſſimi, qui conſtanter aſſeuerant, nullis vnquam ANTALDVM voluptatũ illecebris irretitum, nulla incõtinentiæ labe notatum, nullam vnquam nec in ſermone, nec geſtis minimam quidem offenſionem incurriſſe. Hos angues preſſit ANTALDVS, has feras perdomuit, hęc bella ſuperauit. Delitias laboribus, & induſtria, libidines continentia, prauas affectiones omnes, & dira in animos adoleſcentium contagione vitia ſerpentia virtute profligauit. Non magiſtrorum metu, non parentum minis, non conſanguineorum obiurgationibus reuocabatur à turpibus, ſed ſolummodo amore virtutis, qui in animis potiſſimum ingenuis dominatur, & regnat, ad amplectendum honeſta, virtuteſq; omnes conſectandas incitabatur. Sciebat optimè ſapientiſſimus adoleſcens, honeſtos & laudabiles mores prauorũ hominum conſortio, quo nihil pernicioſius, potiſſimum deprauari, & ideo haud quaquam à vetuſtiſſimæ Achademię noſtre Aſſurditorum inſtitutis, & nomine alienus ſurdum ſe cantibus Syrenarum prębens ſuſpectas malorum conſuetudines quamaximè aſpernabatur, nec latum quidem vnguem à relligioſorum.

gioſorum, & ſapientum virorum latere diſcedebat. Aſsiduus in ſcolis, in cœnobijs, in templis: ſed vel rarò vel nunquam in plateis, in vicis in ſpecta-culis publicis viſebatur. Atq; ita demum ſe adhuc adoleſcens ad honeſta formauerat, vt modeſtiam, continentiam, pietatem, relligionem, virtutes omnes vna cum ipſo nutricis lacte ſuxiſſe videretur. Raram admodum eſſe fratrum gratiam tam exemplorum vetuſtate, quàm quotidiano ſæpius inter ſe disſidentium fratrum edocemur experimento, & ſubindequoq; fatea-mur neceſſe eſt, caram illam eſſe debere, & ſi qui ſint qui ſe fraterno vt decet amore proſequantur, illos verè dignos, quibus laus cumulatisſima tribuatur, quos omnes diligant, quos venerentur, atq; ſuſpiciant. Sed inter hos raros conſpicuus fuit ANTALDVS Senogallienſis Epiſcopus & Patritius noſter Vrbinas, qui tanta frattem ſuum Bartholomeũ Iure-conſultum præclarisſimum beneuolentia complectebatur, vt verè dici poſſet ferè alter, & clarisſimum reliquerit poſteris fraternę concordię, & domeſtic pacis exemplum. Sed quid ago, Auditores? adhuc maiora ſuperſunt, & iamdiu humaniſsimas veſtras aures dicendo fatigo: Bono tamen eſte animo quę mihi de ANTALDI meritis dicenda ſunt reliqua, licet multa ſint nec ingrato digna ſilentio, in pauca conferam, & curſu citatiſsimo, ne vos me tam benigne audientes plus æquo morer, ad portum appellam. Vbi igitur tulit ætas optimis diſciplinis imbutus ANTALDVS diuino ſe ſe cultui emancipauit, ſimulq; ſacerdotio inito, & laurea inſignitus ad Cano-nicatum, & Metropolitanæ huius Eccleſię noſtrę Archidiaconatum ſumma cum laude, atq; vnanimi omnium conſenſu, plauſuq; eſt euectus. exiguum ſanè amplisſimis eiuſdem meritis munus, ſed hoc erat quod illi Eccleſia noſtra dare poſſet maximum, & quod honeſtiſsimis tantum conciuibus ab hac ciuitate noſtra tribui ſolet & poteſt. Quanta in obeundis ad ſe ſpectan-tibus munijs diligentia vteretur, quam frequens in templo, quam precibus Deo effundendis aſsiduus, nihil eſt quod ego commemorem, Auditores Adhuc enim ſuperſunt Cathedralis noſtrę Canonici vitæ probatiſsimę qui vno omnium ore teſtantur, illum fuiſſe perfectiſſimum virtutum omnium exẽplar. Tantũ illius prudentiæ, & integritati Sereniſſimus FRANCISCVS MARIA Dux noſter inuictiſsimus deferebat, vt non dubitauerit grauiſsi-ma illi ſæpius, & ſecreta negotia Illuſtriſsimę atq; excellentiſsimę illius ſo-roris LAVINIÆ in diuę Clarę Ciuitatis noſtrę Clauſtro degentis trac-tanda concredere, eiſdemq; feliciter ex ſententia peractis, maioribus di-gnum muneribus probè cognoſcens ANTALDVM illum ad honeſtiſsi-mum epiſcopatus opus, vbi primum datus eſt locus, promouendum cura-uerit. Orbata itaq; Senogallienſi eccleſia Paſtore, quã & ipſe Dux noſter, & parens vnicè diligebat, ſtatim animum adiecit ad ANTALDVM eum-demq; in Epiſcopum illius Ciuitatis Sanctiſsimo Patri Noſtro fel: record CLEMENTI VIII. nominauit. Nec renuit Summus Paſtor, qui

 meritis

meritis nominati benè perſpectis, ſtatim ſe votis, & perfectiſſimo Principis noſtri iudicio ſubſcriberet. Huic igitur Eccleſiæ deſponſatus ANTALDVS fuit anno ab hinc tertio, & vigeſimo in poſſeſsionẽ illius incredibili omniũ gaudio, ſummoque plauſu receptus. Iure autem Optimo Senogallienſi fuerat Eccleſiæ ob hunc ſibi datum Paſtorem lętandum; quippequæ benè norat hanc Vrbem noſtram ingeniorum lumen, & celeberrimum hunc Vrbinatis Metropolitanæ Canonicorũ cœtũ eſſe quoddã quaſi Epiſcoporũ, & virorum doctrina, pietate, relligione, & virtutum omniũ ornamentis inſignium Seminariuũ. Ex hoc Feretrani, ex hoc Militenſes, ex hoc Senogallienſes, ex hoc aliarũ inſigniũ, quas recenſere longũ eſſet, proceſſerunt Epiſcopi Ciuitatum. Nec te fruſtrata ſpes eſt Senogallia; eum .n. habuiſti Paſtorẽ, quem nec ipſa exoptare poteras meliorẽ. Scito ipſum tui muneris auctorem fuiſſe Deum, tibiq; ab eo numeris omnibus abſolutũ fuiſſe datũ Antiſtetem, qui & vitæ Sanctimonia, & exemplo virtutum ſic Paſtoralia, dum rexit Eccleſiam, officia tractauit, nihil vt abeo, quod ad ſui gregis ſalutem, nihil quod ad amplitudinem, & Eccleſiæ ſplendorem pertineret, minima quidẽ fuerit ex parte prætermiſsũ. Non erat ſapientiſsimus Pręſul ignarus ad grandẽ ſe gradum honoris euectũ, dum ſecũ animo reputabat, eſſe quędam velut aſtra in Eccleſia, & Apoſtolicã verẽ perſonam Epiſcopos ſuſtinere. Sed ex altera quoq; parte benè norat grande onus huic annexum honori, atq; illud Epiſcopalibus ſibi inſignibus exornato pręſtandum, vt omnium in eo virtutũ fulgor ad aliorũ exemplar perfectiſsimè eluceſceret. Atq; ita ſanè factũ eſt, Auditores; nam ſicut nihil in eo, quod reprębendas, nec minimũ quidem inuenias; ita nihil, quod honeſtum ſit, laudabileq; deſideres. Ille, adhibita ſemper in cõſilium ratione, ſingularem in rebus agendis prudentiam, in regendo ſibi credito grege iuſtitiam, in rerum terrenarum contemptu, laborum tolerantia, magnificisq; geſtis fortitudinem, in affectionibus animi moderandis, admirabilem ſemper pręſetulit temperantiam. Sed licet omnibus pręſtaret virtutibus, iuſtitiam tamen virtutum omnium principem coluit quammaximè: illam enim integram ſemper, incorruptamq; maxima cum omnium admiratione ſeruauit: adeo enim erat in illa adminiſtranda inflexibilis, vt neq; vllius vnquam gratia, nec amore, nec odio, nec vllius proprij commodi ſpe conſtantiſsima illius vnicuiq; ius ſuum tribuendi voluntas permoueretur. Non ideo tamen oblitus manſuetudinis atq; clementiæ, quam ita admiſcebat iuſtitiæ, vt omnibus admirabilẽ, & ipſis etiam reis amabilem, quod raró ſolet accidere in ipſa ſcelerũ coercitione ſe redderet. Sed vt omnia vno verbo cõplectar, illa omnia pręſtabat ANTÁLDVS, quæ ad vigilantiſſimi Paſtoris, optimiq; parentis officium pertinebant. Sed, vt ſpecialia nõnulla perſtringã, Ille, vbi traditę ſibi cognouit Eccleſię neceſſitates, ſtatim animo agitare cœpit qua ratione poſſet illis occurrere, diuinum cultum augere, ſponſamq;

ſibi

ſibi maximo charitatis ardore deuinctam, quam maxime poſſet, ornare. Sed quia exiles erant ab initio Eccleſiæ prouentus mille tantũ aureorũ, cũ reliquos ſibi Illuſtriſsimus Cardinalis Ruſticuccius fructus reſeruaſſet, addita inſuper facultate quatuor mille aureorum ex eiuſdem Epiſcopatus prouentibus in eius obitu auctoritate Pontificia diſponendi, diuino factum conſilio, Auditores, vt, anno vix elapſo, appoplexia correptus Ruſticuccius vna cũ vocis, & ſenſuum interceptione ſimul etiã, & vitam, & diſponẽdi facultatẽ amiſerit. Itaq; breuiſsimo illo temporis interuallo fructus omnes ad ANTALDVM vti meritiſsimũ deuoluti. Licet vero nonnulli potentiſſimi viri obſtarent, & reſeruatos ab initio prouentus a ſanctiſſimo Patre Noſtro CLEMENTE depoſcerent, renuit tamen ſemper clemẽtiſſimus Paſtor hoc addens, maioribus dignum præmijs ANTALDVM, nec ęquũ à mortalib' illi ſubtrahi quæ bona Deus ipſe immortalis remunerator bonorum mirabili quodam modo præter omnium opinionem dediſſet. Nouit optimè Sapientiſſimus CHRISTI Vicarius, & Paſtor Eccleſiæ Sãctiſſimus, non ad aliud hæc bona ſpectare, quàm ad pietatem, ad magnificentiam, ad liberalitatem ANTALDI pijs vſibus exercendam. Hoc vero certum eſt, Auditores, ſiquid de Epiſcopatus illius prouentibus fuiſſet detractum, non illud detractum fuiſſet ANTALDO, ſed Eccleſiæ, ſed pauperibus, ſed ipſi Deo. Non enim proprias Pręſul ille Sanctiſſimus ducebat opes, quas Eccleſiæ redditus dabant, ſed piorum verius locorum, & CHRISTI pauperum, quibus, è propria menſa cibis ſępè ſubtractis, benigniſſimè alimenta prębebat, victumq; ſuppeditabat. Cum proximè elapſis annis ingenti annonę caritate regio noſtra cum finitimis premeretur, nunquam eſt paſſus ANTALDVS traditas ſibi paſcendas oues inopia laborare, ſed magis indigentibus neceſſaria ſemper, quoad opus fuit, pręſtitit alimonia. Quin illud etiam accipite, quo magis conſultum foret ab eo pauperum neceſſitatibus, voto ſe multis ab hinc annis obſtrinxerat Deo (quod nõ niſi, vnico tantum nepote conſcio, poſt obitum illius innotuit) nullum vnq̃ a ſe pauperem, qui aliquid peteret, dimiſſurum inanem. nec inanis poſtea fuit cõcepta illa promiſſio; nã patuit ſemper, ſicut antea, domus ANTALDI pauperum neceſſitatibus, quam tanquam proprium illi ducebant ærarium, ad omnia ſibi neceſſaria pręſtanda, paratiſſimum. Hoc verę pietatis miniſterium, hoc benigniſſimi parentis opus, hoc veri Paſtoris officium. Iam mihi tandem, Auditores, properandum eſſet ad metam orationis, ſed vbi tot alia magnificentiſſima ANTALDI geſta nequaquã ſilenda pretermitto? Quid quod Eccleſiæ ſuæ qua nihil ipſi charius; totum conſtruendũ perietẽ, fornicem ruinã minantem impenſa propria plus aureorum ſex mille cũ alijs multis reſtaurandum curauit? Iam vero nec illud omitto, quòd charitatis intuitu neceſſarijs omnibus indumentis ſuæ Sacrariũ Eccleſiæ locupletauit. A minimis ad ſummũ vſque, vberrimè cuncta ſubminiſtrando, nihil vnquam

deeſſe

deeſſe ſuæ eſt paſſus Eccleſiæ. Quin proprium etiam frumentũ & vinum, ad ſacra myſteria conficienda, ſatis ſuperq; ſuppeditauit, dum vixit. Seminarium, in quo pauperes adoleſcentes & bonis moribus, & litteris inſtituerentur, in eadem Senogallienſi Ciuitate erexit, eidemq; ex ęre proprio ducentos ſingulis annis aureos, pro alendis iuuenibus, & magiſtris pia liberalitate perſoluit. Quid plura? ad augendũ Eccleſiæ ſuę cultũ & piorũ mentes excitandas, ſacrę Theologię magiſtro, ſacriſtę coadiutori, quatuor aſſiduè clericis, Muſicę prępfecto, & ad ſacros in Eccleſia concentus exercendos, pulſanti organa idẽ met ſemper ex arca propria deſumpta aſſignauit ſtipendia. ò pietatem verè relligioſiſſimi Antiſtetis prędicãdã, ò liberalitatẽ inauditã. An his, & alijs innumeris benefactis, quæ magna quidẽ ſunt, licet ſatisfactũ foret omnibus, magnitudini animi ANTALDI ſatisfactum putatis? Non equidem, Auditores: nam illud etiam me tandẽ dicendi modũ facere volentẽ aliquantiſper moratur, quod Eccleſiæ ſuę canonicorum numerũ, duobus additis, auxit, eiſdẽq; congruentes perpetuo redditus pecunia propria aſſignauit. Hęc animi ſanè regij ſunt opera, hęc nulla vnquã vetuſtas interimet, nulla delebit obliuio. Diui CAROLI, cuius moribus, & vitæ probitati quam ſimillimũ ſe iam pia imitatione reddiderat, licet laborioſũ ſibi iam uiribus ſenio confectis, & in commodũ iter cognoſceret, nihil tamen ſibi aſperũ ducens, ſepulchrũ inuiſit, & lacrymis vbertim præ lętitia per ora manantibus corpus illud ſanctiſſimũ tenerrimo cordis affectu ſalutauit. Neq; tamen ſponſę ſuę Senogallienſis oblitus in reditu; nam illam ſex argenteis candelabris, tribus ex eadẽ argentea materia cõfectis lampadibus pretij quingentorum ſupra mille aureorum ad perpetuum decus ornauit. Nec minorem demũ animi magnitudinẽ iam factus locupletior in pia liberalitate exercenda pręſetulit, quàm antea fecerat, dum propria ab initio virtute, dura quæuis incommoda ſufferendo, ad ampliorem ſibi conditionẽ aditũ patefecit. Idẽ honorificẽtiſſimè fuit exceptus, ſummeq; a PAVLO V. Pont. Max. nuper ad pontificiã ſedẽ euectũ laudatus, cum fuit ad eumdem ab inuictiſſimo Duce noſtro miſſus ad gratulationis officium obeundũ. Impetrata poſt annos aliquot ab eodẽ Pont. Max. benedictionis pontificię iam iam ex hac luce migraturis impertiendę facultate, mirum dictu, quam ſe promptũ, & alacrem in hoc cæleſti theſauro laborantibus quibuscunque diſpenſando prębereet. Illud verè dicam, Auditores, ſę piſſimè illum nocte intempeſta cubantẽ euocatũ ſtatim animo libentiſſimo, potiorẽ ſui animarum gregis, quam proprij ſalutẽ corporis ducens, ad ſignãdos hac benedictione languentes ſurrexiſſe. Non autẽ potuit diutius corpus iam ſenio confectum, & ſtudiorum laboribus, vigilijs, mediaque conſumptũ ingruentiũ laborũ vim ſuſtinere: nam morbi tandẽ grauitate correptus languens decubuit. Sed cũ maximè eo tẽpore ſolita in eo potuit agnoſci pręſentis animi magnitudo, & robur infractũ; nunquã enim per quatuor ipſos mẽſes, & eo

amplius,

amplius, quibus maxima vi morbi laborauit animo indoluit, nunquam cõqueſtus eſt ſe doloribus cruciari vehemẽtius, quàm poſſet perferre; ſed oculis ad cælum conuerſis ſummas Deo ſemper agebat gratias, quòd ęgrotatione illa vel grauiſſima ſui famuli recordaretur. Iamq; vidẽs, ſibi ex hac mortali vita migrandum ad ęternam, licet poſſet octingenta frumenti ſextaria, & totidem vini cados, pecuniarum & argenti vim magnam, & ſupellectilia quamplurima ſuperſtitibus ex fratre nepotibus condonare, hoc tamen expreſſe vetuit, potiorem ratus nepotum conditionem, ſi patruę illos potius pietatis, manſuetudinis, relligionis, magnitudinis animi, virtutumq; omnium & gloriæ, quàm diuitiarum, & fortunę bonorum heredes reliquiſſet. Sic tandẽ Sacratiſſimo pręmunitus viatico occubuit ANTALDVS, ſic occubuit, Auditores, vt nunc quammaximè glorioſiſſimus cælo viuat, & maximũ in omniũ animis ſui moriẽtis deſideriũ reliq̃rit. Sic occubuit, vel potius vixit ANTALDVS, vt pulcherrima virginitatis laurea, quã nũq̃ã, licet ſępius conflictatus, amiſit, ſupremũ hoc illi funus à pijs nepotibus magnificẽtiſſimè extructũ quam maximè exornet. Hoc maximũ omniũ eſt, hoc admirabile, hoc angelicum potius quàm humanũ. glorioſior hęc victoria quam hoſtẽ ferire, murũ aſcendere, triumphum agere, ſpolijs opimis, pace parta profligatis hoſtibus, locupletari. Qui corporis, animiq; candorẽ, ſicuti certiſſima fide compertũ eſt factum ab ANTALDO, ad rogum vſq; ſeruauit intactũ, hunc ego non hominẽ, ſed ſimillimũ Deo iudico; huic ſtatuas ad nominis perennitatẽ ſtatuendas in foro, huic tẽpla ſacranda, huic diuinos honores ſapiẽtiſſimus quiſq; decernendos eſſe iure optimo arbitrabitur. Quam gratus, & acceptus Deo ſit candor mentis, & caſtimonię flos illibatus, teſtis mihi ſit niueum de abſciſſę CATHERINE ceruicis vulnere lac profluens, teſtis monumentũ oleo puriſſimo manans angelico Virginis exanimo corpori miniſterio conſtructũ, teſtes roſę, teſtes lilia, quibus caſtiſſima CÆCILIA Virgo fuit adhuc viuens cũ ſponſo VALERIANO Syderea manu redimita. Et tuis ipſe ante alios ANTALDE Roſis tuis ſyderibus non terrenis, ſed cæleſtibus, tua nunc Cruce triumphans beatarũ mentiũ choris admixtus coronam geſtas beatiſsimus ęternitatis, & gloriæ. Dixi pauca de multis, quæ de innumeris ANTALDI meritis dici poterant; ſed reliqua tacitis mentibus vos ipſi perpẽdite. Hoc tamen addam, Sereniſsimũ Ducẽ noſtrũ illum etiam mortuum benigniſsimè ad nepotem illius MAVRVM, & fratres litteris ſcriptis honeſtiſsima laudatione proſequutum, quem & iam viuentẽ honoribus ampliſsimis cohoneſtauerat: Quare nec etiam in hac laudatione me progredi longius decet; cum ſatis ſit illum à laudatiſsimo fuiſſe Principe tum collatis honoribus, tum ſæpius ore proprio laudatum. Habemus, Auditores, qui clariſsimo nobis honeſtiſsimè actę vitæ pręluceat exemplo, qui nos ad virtutes omnes, quibus erat ornatus, amplectendas inuitet. Reliquum tantum eſt cumulatiſsimi meritis

omnibus

omnibus viri nos rȩlictos lenire deſideriũ amiſsi; tũ, ſi decus & mundi gloria ſpectetur, ampliſsimo ſibi cardinali Beatiſsimi Patris Noſtri V R B A N I, (quẽ vtinã Deus optimus Max: ad Eccleſię Romanę, columen, & amplitudinẽ diutius ſoſpitẽ prȩſtet) germano fratre æquè doctiſsimo, ac ſapientiſsimo viro ſuceſſoredato, tũ quoad lenimen animȩ, ſpe certiſsima, nunc quã maximè A N T A L D V M cælo viuere, & ſolitȩ in omnes memorẽ charitatis eũdẽ ardentiſsimis ad Deũ precibus noſtrȩ futurũ in cælis fælicitatis auctorẽ. Dixi.

ADVMBRATI ACADEMICI INSENSATI, ET ASSVRDITI VRBINATIS.

EPITAPHIVM.

D. O. M.

ANTALDO DE ANTALDIS
SENOGALLIENSI EPISCOPO,
ET COMITI,
PRAESVLI VIGILANTISSIMO, AC INTEGERRIMO
QVI, DEI CVLTVM
PRINCIPVM, AC PATRIAE GLORIAM
IN VOTIS HABVIT, AVXITQ.
BENEFICENTISSIMO PATRVO, IMMO PATRI
EX FRATRE NEPOTES
GRATO ANIMO VNANIMES,
AT DOLORE EXANIMES
POSVERE.

EIVSDEM ADVMBRATI, INSENSATI ET ASSVRDITI ACADEMICI VRBINATIS; ELOGIVM.

CIVIS, ET ADVENA
VENERARE
Hac ſub Mole
ANTALDVM DE ANTALDIS
Senogallienſem Antiſtitem.
INTVERE
Potius ipſum, quam eius Stemmata,
Roſis ornatum, velut Virtutibus,
Cruce munitum, Aſtra petentem.
ADMIRARE
Virum integritate, ac pietate maximum
Cuius meritum ętatem atq; honores anteiuit,
Cuius mens in Deum, mortaliaqueq; anteuertit.
PLORA
Pręſulem optimum,
Conciuem conſpicuum,
Pauperum altorem,
Altarium Erectorem,
Diuini Cultus propagatorem.
MEMORARE
ANTALDI facta, dicta, monumenta,
Ad Virtutem incitamenta
PRECARE
Animę, & Nomini ęternitatem.

IN OBITV EIVSDEM ET DE ILLIVS *INSIGNIBVS.*

EPIGRAMMA.

Benedicti Dori.

QVanta ſit ANTALDI ſineſcis gloria, cerne
Sydera in inſignibus cum cruce cerne roſas:
Quatuor vt partes orbis crux reſpicit, orbe
Sic toto ANTALDI fama perennis erit.
Vt roſa purpureum diffundit læta colorem,
Arſit in ANTALDO ſic charitatis amor.
Sydera picta docent cęlo radiare ſereno
ANTALDVM hinc raptum lucidiore coma.

DE EODEM.

VIrgineo candore fuit ſpectabilis orbe
ANTALDVS, flagrans & pietate pari.
Hinc ſua Crux habet admixtum candore ruborem;
Facta ſibi hinc aſtris; facta corona roſis.

DE EODEM.

CArpſiſti hic ſpinas durorum ANTALDE laborum,
Carpe idem ęternas nunc ſuper aſtra roſas.

0136